



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum II. In Ecclesia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

# TITULUS VII. DE INSTITUTIONIBUS.

**D**ostquam de beneficijs, ipsiusque beneficiarijs quaedam dicta sunt, nunc de modis acquirendi beneficia, seu de institutionibus subijcitur.

admonet *Gl. hic. & annotavi in cit. c. cum M. in not. 4.*

## CAPITULUM II. In Ecclesia.

### CAPITVLVM I. Non amplius.

**PARAPHRASIS.**  
Non plures in Monasterijs, & Clericorum Collegijs, institui debent, quam de bonis Ecclesiae, absque penuria ali possint. *Sumptum est ex Concilio Arclatensi 4. sub Carolo magno c. 8.*

**SUMMARIUM.**  
*In Ecclesijs Collegiatis, & Conventualibus tot institui debent, quot possunt commode ali, deductis tamen deductis.*

**NOTANDUM.** Tot personae in Ecclesijs Collegiatis & Conventualibus institui debent, quot ex redditibus Ecclesiae commode, & sine penuria ali possunt. Consentit *c. auctoritate 4. hoc tit. c. quoniam 9. de vita & honestate Clericorum.* & videri potest *Gl. in c. ult. de verborum significatione.* & quae dixi in *c. cum M. de constitutionibus.* & in *moralibus Theologia lib. 4. tra. 2. c. 16.*

Deducenda tamen sunt onera Ecclesiae, atque ita proventus aestimandi, ut hospitalitas erga peregrinos, misericordia erga pauperes, aliaque beneficentiae opera non praetermittantur, *argum. c. de Monachis 12. de praebendis.* & notavit *hic Abb. n. 2.* Praeterea, si Ecclesia numerata sit, sive certus in ea Canonicorum, aut Regularium numerus statutus, tunc ob quodvis reddituum augmentum, numerum non augendum esse,

**PARAPHRASIS.**  
Cujusdam Ecclesiae capitulum statutum habebat, juramento firmatum, de certo Canonicorum numero instituendo; cum autem numerus ille imminutus esset, capitulares consuluerunt Eugenium Papam, utrum eum augendo implere teaneantur, non obstante, quod in Ecclesia ea Laici quoque alantur, qui & ipsi in numero Canonicorum computari soleant. Respondet Pontifex, cum Laici in Canonicorum numero censi non possint, ideo obligari eos, ut numerum decretum per Clericos, qui in Ecclesiasticis Ordinibus constituti, Deo in divinis officijs congrue servire valeant, implere non intermittant.

**SUMMARIUM.**  
*Jus Canoniae non potest cadere in Laicum, nisi hic saltem sit persona Ecclesiastica.*

**NOTANDUM.** Jus Canoniae non potest cadere in Laicum, eo quod in spirituali officio fundatum sit. *c. 1. dist. 21.* & tradit *Innocentius hic*, ubi addit, quod jus Monachatus cadat in Laicum, videlicet conversum, qui tamen Ecclesiastica persona censetur, ita, ut gaudeat fori, & Canonis privilegij.

Id verò intelligi debet de Monachatu praecise spectato, juxta ea, quae traduntur à Gratiano *in causa 16. q. 1. super c. hinc est 30.* Monachos quadringentis circiter primis annis in monasterijs non esse ordinatos Clericos;



ricos; at verò secundum præsentis Ecclesiæ consuetudinem plerique tituli Monachales, in Ecclesiastico officio fundantur, cum obligationem chori, aliorumque Ecclesiasticorum, annexam habeant.

Quærit hinc *Innocentius*, num fratres conversi in monasterijs, ad actus capitulares vocandi sint, & ipse affirmat. *Abbas autem hic num. 6.* rectè distinguit, quòd electionibus interesse non debeant *c. ex eo. 32. §. in Ecclesijs. de electione in 6.* præterquam, si per diuturnam consuetudinem jus suffragij præscriperint; eum enim non sint meri Laici, sed personæ Ecclesiasticæ, idè juris spiritualis capaces esse possunt, uti constat *ex cit. c. Ex eo §. in Ecclesijs. e. cum olim. 7. de arbitrio.* & dixi fusiùs *in disp. de Prelatis q. 181.* at verò ad alios actus capitulares vocandi sunt, cum sint membra Congregationis, seu Conventus, nisi consuetudo obrinuerit, ut non videntur.

## CAPITVLVM III.

## Ex frequentibus.

## PARAPHRASIS.

Intellexerat Alexander III. quòd in Anglicanis quibusdam Ecclesijs prava consuetudo introducta esset, ut Clerici Ecclesiastica beneficia (absque Episcopi Diocæsani, vel officialium ejus consensu, quibus id de jure competit) accipiant, non cogitantes, quòd id à statutis Patrum alienum, & Ecclesiasticæ honestati contrarium sit: ea propter Cantuariensis Archiepiscopus ex commissio sibi officio istam iniquam consuetudinem extirpare volens, tam in eos, qui Ecclesiastica beneficia tali modo occupata detinent, quàm in eos, qui imposterum ita occupare præsumunt, excommunicationis sententiam protulit. Hæc cum narrasset Pontifex, subjungit, se sententiam ab Archiepiscopo latam Apolicâ auctoritate confirmare, ac man-

dare, ut Clerici, qui sententiam excommunicationis incurrerunt, nisi canonicè satisfecerint, non absolvantur.

## SUMMARIUM.

*Provisio beneficij alia est purè libera, alia est electiva, alia patronata, quorum collatio, sive approbatio, confirmatio, aut institutio ad Pontificem, vel Episcopum pertinet.*

**A**Dverte imprimis, quòd collatio, seu provisio beneficij, alia est libera, que collationis nomen, veluti proprium sibi vindicat. Et hæc, si sit simplicis beneficij collatio, facta à quocunque Clerico jus conferendi habente, Episcopi approbationem, aut examen non requirit jure ordinario, prout docet *Garz. de beneficijs p. 1. c. 3. n. 1.* quòd in simplicium beneficiorum libera collatione nulla specialis forma requiritur, neque citatio per affirmatum edictum, secundum *Gl. in c. ult. v. observari. de electione. in 6.* At verò in provisione beneficiorum curatorum, seu parochialium, quo modo examen præmitti debeat, vide *Trident. sess. 24. c. 18. de reformatione. & Garziam cit. p. 1. c. 2.*

Alia verò est provisio beneficij non libera, eaque iterum duplex: vel enim jus acquisitum est Clerico per canonicam electionem, ita, ut approbandus, & admitteendus sit, si idoneus reperiat; hæc provisio dici solet confirmatio, per quam non multum juris tribuitur; cum electo jam per electionem aliquod jus in re, saltem imperfectum acquisitum censeatur, *argum. c. nihil. 44. de electione & c. inser. de falsis instrumentorum.* ubi dicitur, quòd, qui confirmat, non dat, & tradit. *Abb. in 6. auctoritate n. 5. hoc sit. post Gl. celebrum in c. quanto 10. v. relatio. dist. 63.* Vel presentatio, aut nominatio tantum antecessit à Patrono Ecclesiastico, aut Laico facta, cui tale jus competit, & per hanc præsentationem jus aliquod in re non acquiritur presentato, sed ab ordinario per institutionem tradit.